



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Posteriores Libros Septem De Habituali Gratia, Sanctificatione
Hominis, Ac Merito

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1621

Cap. II. Vtrum hoc iustitiæ augmentum per intensionem habituum fiat, &
consequenter, quomodo fiat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94104](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94104)

Probatur
ratione.

10.

Assertio 3.

Augmentum

gratiæ, &

iustitiæ fit

tum per bo-

na opera, in

per sacra-

menta, de

fide est vera

que pars as-

sertionis.

2. pars expe-

ditur prius.

de. 1. erb. Apost. Denique ratio huius assertionis eadem est, quæ præcedentis, & in sequentibus amplius explicabitur.

Dico 3. Hoc gratiæ, & iustitiæ augmentum in iustis per bona opera ipsorum, vel per signa aliqua ad hunc effectum à Deo instituta, regulariter fit. Hæc assertio quoad utramque partem est de fide, duobus enim modis, ut distinguunt Theologi, potest fieri augmentum, scilicet, ex opere operantis, & ex opere operato, prior attingitur in prima parte assertionis, posterior in secunda. Pertinet autem hic posterior ad effectus sacramentorum novæ legis, & ideo de illa parte nihil amplius est in præsentia dicendum, sed catholica veritas supponenda est, quæ docet, sacramenta à Christo instituta, quando ab homine iam iustificato recipiuntur, illius gratiam augere, quia semper, & omnibus non ponentibus obicem gratiam conferunt, ut definit Concilium Tridentinum, sess. 7. canon. 6. & 8. sed iustus illa recipit sine obice, ergo gratiam illi conferunt, & non primam, quia iam illam habet, ergo augmentum eius. Et quamvis hoc augmentum non fiat sine aliqua hominis cooperatione, tum quia ipsa voluntaria receptio sacramenti est opus hominis, tum etiam quia dispositio aliqua ex parte eius debet præcedere, & hac ratione posset hoc genus augmenti ad primam conclusionis partem reduci, nihilominus tamen, quia ibi datur speciale augmentum ultra totum meritum hominis ex vi solius diuinæ institutionis, ideo non potest proprie dici fieri per bona opera hominis, unde tale augmentum etiam in parvulo nihil operante inueniri potest, ut in parvulo baptizato cum confirmatur, vel si Eucharistia illi detur. Et ideo recte dicitur, hoc augmentum per signa à Deo instituta conferri. Unde etiam constat, esse proprium præsentis temporis novæ legis, & non esse ex intrinseca natura, & causalitate gratiæ, sed ex postiva Dei ordinatione, ut in propria materia de Sacramentis tractatum est, & ideo de hoc genere augmenti gratiæ nihil fere amplius in hac materia dicemus, sed solum de primo, qui est ab intrinseco, & quasi per virtutem vitalem ipsius gratiæ perficitur.

11.

1. Pars iam

probatur 1.

Prior igitur pars etiam est definita ab eodem Concilio Tridentino, sess. 6. capitulum 10. & canon. 24. & 32. & colligitur euidenter ex locis citatis pro præcedenti assertionem. Nam ideo postulat ab homine hoc augmentum, & ut magis, ac magis se iustificet, & ut in charitate crescat, & ascensiones in corde suo disponat, quia hoc per opera eius libera fieri debet, ut etiam sancti allegati exposuerunt. Et in hunc modum idem conuincitur ex illo ad Roman. 6. Vbi Paulus hominibus etiam iam iustificatis dicit. Sicut exhibuistis membra vestra servituti immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servituti iustitiæ in sanctificationem. Non quidem primam, quia illam supponit, ergo in secundam, id est, in sanctificationis augmentum. Unde subdit: Liberati à peccato servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem. De quo fructu ait ad Colos. 1. Ut ambuletis digne Deo in omni opere bono fructificantes, & crescentes &c. ut enim dixit Augustinus lib. 2. de Peccator. merit. cap. 13. Ambulatio ista non corporis pedibus, sed mentis affectibus, & vite moribus geritur, ut possint esse perfecti iustitiæ possessores, qui recte vivere fidei de die in diem sua renovatione proficiscunt, iam perfecti facti sunt eiusdem iustitiæ viatores. Et infra explicando hoc augmentum, & tractando de merito, plura in huius veritatis confirmationem afferemus.

12.

Theologica

cogruentia.

Ratio philosophica conclusionis ea tantum esse posset, quod iustitia in habitibus inhærentibus nobis consistit, habitus autem per actus augeri solent. Sed hic potest inueniri hæc ratio minus efficax, quia habitus infusi non possunt effectiue augeri à suis actibus, sicut augentur habitus acquisiti. Et ideo addenda est congruentia Theologica, quod ubi causa

secunda sufficienter disponit materiam, & non potest inducere formam, ad Deum spectat supplere causam secundæ defectum, ut in animæ rationalis creatione cernitur. Et ex propriis possunt sumere argumentum, quia in prima sanctificatione si homo si-
sufficienter disponat cum Dei auxilio, quia per suum actum non potest homo inducere habitum, Deus illum infundit, ergo simili modo, vel à fortiori, si homo iam iustificatus per opera ipsius iustitiæ, recte se gerat, & disponat, Deus augmentum habituum conferet. Et confirmatur primo, quia in ipsa prima iustificatione Deus confert maiorem gratiam homini, melius se disponenti, ut supra visum est, ergo etiam tum, auget gratiam eius, qui per gratiam melius operatur. Denique ratio moralis diuinæ providentiæ hoc postulat, ut iusti ad bene operandum animentur, & excitentur spe fructus, & maioris sanctificationis. Ratio etiam amicitia postulat, ut affectibus, & assiduis obsequiis crescat.

Atque hæc quidem rationes ostendunt utilitatem bonorum operum ad hoc augmentum, necessitatem autem ostendit ipsamet rerum euentus diuinæ providentiæ consentaneus. Scimus enim, Deum paratum esse ad sanctificandos, & perficiendos homines, ostendimus autem, imo experimur, non omnes aequaliter sanctificare, neque omnium gratiam augere, ergo tota ratio huius est, quia in hoc negotio cooperationem liberam hominis interuenire voluit, & ideo lex lata est, ut factores legis iustificentur. Roman. 2. ut exponit Augustinus de Spirit. & liter. cap. 2. Quæ lex suo etiam modo in augmentum iustitiæ per sacramenta servatur, nam qui sacramentum recipit, vel legem implet, si sit adultus, vel in eo lex impletur, si sit parvulus. Nihilominus tamen in conclusione particulam, regulariter, addidi, quia ex privilegio potest Deus, & solet gratiam augere sine operibus, vel sacramentis, ut fecit in Apostolis in die Pentecostes, & credibile est fecisse in Beata Virgine in eo momento, in quo illam concepit: & fortasse in aliis, quia est Dominus gratiæ suæ, & potest illam conferre quando, & quomodo voluerit. Et nihilominus etiam in illis casibus, nunquam legimus dedisse hoc augmentum, nisi proprio aliquo consensu, vel cooperatione libera, ut Apostolis orantibus, Virgini consentienti &c. licet augmentum fuerit maius, quam talibus operibus deberetur. Obiectiones hæreticorum nullæ proprie huius loci occurrunt, sed partim tractando de vera, & inhærente iustitia, & dispositionibus ad illam tractatæ sunt, partim in libr. 11. tractando de bonis operibus, & in duodecimo tractando de merito, soluentur.

C A P V T II.

Utrum hoc iustitiæ augmentum per intensiorem habitum fiat, & consequenter quomodo fiat?

Ratio dubitandi esse potest, quia in his habitibus vel non est possibilis, vel non est necessaria intensio, & alioqui augmentum iustitiæ, & sanctitatis formaliter per exercitium ipsorum actuum, atque adeo per ipsamet opera potest sufficienter fieri, ergo non est necesse, ut in intensione habituum consistat. Antecedens, quoad singulas partes probatur. Prima de possibili, quia virtutes infusæ sunt potius potentia, quam habitus, potentia autem non sunt qualitates intensibiles, ut in intellectu, & voluntate, & aliis similibus patet. Unde fit, ut gratia, quæ ad has virtutes sicut essentia ad suas potentias comparatur, non magis sit intensio capax, quam substantialis forma: tum etiam, quia gratia cum suis habitibus remitti non potest, ut Theologi docent, ergo nec per intensiorem augeri: est enim eadem ratio, eadem-

eademque latitudo, seu eadem via, per quam ascenditur, & descenditur. Secunda pars, scilicet, quod saltem non sit necessaria illa intensio probatur, tū quia interdum homo fit sanctior sine intensione habitus, ut quando multiplicat actus virtutis remissos, per quos habitus virtutis non augetur, nā tunc ille propter plures virtutis actus a se factos melior, & studiosior censetur: tum etiam quia homo multiplicando peccata est apud Deum iniustior, licet non magis careat habituali iustitia apud Deum, neque politius crescat in habituali apud Deum ipsum, quia vel nulla talis est propria, quia suppono talia esse peccata, ut non generent odium Dei, nec aliud simile vitium Deo directe contrarium, & licet inducatur, fieri potest, ut per multiplicata peccata æqualia nō augetur, sicut etiam fieri potest, ut habitus virtutum non intendatur, & nihilominus homo fit nequior per solam multiplicationem actuum, ergo similiter &c.

2. Atque hinc inferitur tertia pars, quia si intensio habitus necessaria non est ad talem effectum, profecto opera ipsa formaliter illum conferunt, & directe hoc probari potest, tum quia ipsa opera sunt quædam iustitia apud Deum, & ita in Scriptura vocantur, Psal. 118. *Fecit iudicium, & iustitiam*, ergo per se iustificat, ac subinde multiplicata magis, ac magis iustificabunt. Tum etiam quia Scriptura hoc tribuit ipsis actibus iuxta illud Rom. 2. *Factores legis iustificabuntur*, ergo optime potest illis tribui formaliter, & similiter cum Concil. Trid. dicit, opera iusta esse causam augmenti iustitiæ, optime potest intelligi de causa formali, sicut calor intensior dicitur causare magis calidum; ergo ad augmentum sanctitatis non oportet aliam causalitatem his operibus tribuere.

3. In hoc puncto nullum Theologum inuenio, qui dixerit, gratiam, seu habitus infusos esse qualitates ita indiuisibiles, ut per intensiorem augeri nequeant necetiam inuenio, qui absolute negauerit, interuenire de facto hoc augmentum habituum, quando homo magis, ac magis per opera sanctificatur: denique non inuenio, qui negauerit, hoc augmentum quacunque ratione, aut via conferatur, sufficere ad constituendum hominem sanctiorem. Vnde tria hæc omnino vera esse, & certa suppono. Et quidem hoc ultimum conuincit exemplum paruulorum, qui post sanctificationem baptismi secundo sanctificantur per sacramentum confirmationis, nam dubitari non potest, quin intrinsece, & inherenter sanctiores fiant, & non ratione suorum operum, ergo per augmentum internæ iustitiæ, quæ sanctificati sunt; ergo illud augmentum sufficit ad maiorem sanctificationem. Et hinc etiam sufficenter probatur primum, quia illud augmentum in paruulis nō potest esse, nisi in habitibus ipsis & ipsi habitus non nisi per intensiorem augeri possunt, ut est per se manifestum, maxime in gratia habituali, quæ est in essentia animæ, & consequenter in virtutibus, quæ illa comitantur, & cum illa proportionem seruant, & augmentum extensiuum in se non recipiunt, ut in superioribus tactum est, & latius tractando de singulis, suis locis dicitur. Solum ergo circa secundum videndum superest, quam certum illud in secunda sanctificatione adultorum, & an illud augmentum inherens iustitiæ habitualis sit prima causa formalis iustos adultos magis sanctificans? Nō enim desunt aliqui moderni, qui vtrumque indubium reuocent, dicentes, adultos seclusa maiori sanctificatione per sacramenta, primo fieri iustiores formaliter per ipsa opera iustitiæ, & ideo non esse de fide certum, quod per illa habitus augeantur, cum illud augmentum necessarium tunc non sit, ut sic operantes intrinsece, ac formaliter iustiores fiant.

4. Nihilominus dico primo. Quoties iustus magis iustificatur per opera sua, iustitia habitualis intrinsece, & in se ipsa recipit augmentum permanens in habituali in mine iusto, etiam si ab operibus cesser. Hanc assertio-
nem ex illis omnino certam, & ad doctrinam fidei
pars 3.

pertinentem. Hoc præcipue probo ex Concilio Tridentino, nam alia, quæ afferri possunt, tergiuersa-
tionem patiuntur, Concilium autem Tridentinum, opera bona.
quod antiquam doctrinam magis explicat, & stabili-
tate in virtutem, renouantur de die in diem, dixerat autem
renouationem iustorum esse per infusionem iustitiæ
habitualis, seu, quod idem est, permanentem inha-
rentis, ut supra explicatum est, ergo eodem modo
intelligit renouationem fieri per augmentum iustitiæ.
Vnde in eodem sensu subdit: *Per observationem
mandatorum in ipsa fide per Christi gratiam accepta, coope-
rante fide bonis operibus, crescant, atque magis iustificentur.*
Ipsa ergo iustitia, quæ homo fit iustus, postea crescit,
illa autem est iustitia habitualis, ut supra ostensum
est, ergo. Item de eadem iustitia dicit cano. 24. con-
feruari, & augeri per bona opera, sed non conserva-
tur formaliter per opera, ut per extrinsecam deno-
minationem ab eis sumptam, ergo neque ita augetur,
sed intrinsece, & in se per aliquam aliam causalitatem
operum a fide viua procedentium. Præterea can. 32.
dicit, iustum vere mereri augmentum gratiæ per bona
opera, ergo illud augmentum est aliquid distinctum
ab operibus, & a formali effectu eorum: nam homo
non meretur formalem effectum sui operis, sed facit
illum.

Respondent aliqui, ibi sumi meritum lato modo,
prout aliquis dicitur mereri formam, aut beneficiū
aliquod per qualitatem, aut perfectionem, per quam
est dispositus, aut proportionatus ad talem effectum
ut Ecclesia dicit de Beata Virgine ita fuisse præpara-
tam, ut Verbum diuinum in utero suo concipere me-
reretur. Sed non est admittenda expositio, tum quia
in doctrina tradenda cum omni proprietate Concilia
loquuntur: tum etiam quia Concilium addidit, *vere præcludi-
merentur*, quasi ad excludendam improprietatem: tum
denique, quia ita dicit mereri iustos augmentum gra-
tiæ, sicut augmentum gloriæ, sed hoc secundum ne-
cessario est intelligendum de proprio augmento, &
de proprio merito, ergo & primum.

Tandem possumus hoc modo confirmare hanc
veritatem, quia non minus intrinsece, ac permanen-
ter in sanctitate perficiuntur iusti per bona opera sua
quam per sacramentorum susceptionem, sed per sa-
cramenta recepta a iustis augetur iustitia, quoad in-
trinsecum, & per manens augmentum ipsius habitualis
iustitiæ, ut paulo antea dictum, & probatum est; ergo
idem est dicendum de priori augmento per opera.
Consequentia clara est, & Minor similiter, quia pro-
prium augmentum gratiæ, quod sacramentum facit,
non potest in operibus hominis consistere, cum
sit ultra opera, sed ex opere operantis, neque ipsum
sacramentum est opus hominis recipientis illud, sed
Dei. Vnde illud augmentum, & in operante, & in
non operante fieri potest, ut in paruulo, & in adulto
interdum dormiente, vel distracto, & nihil actu o-
perante, & tamen semper est eiusdem rationis, sicut
est ab eadem causa. Maior autem, seu æquiparatio v-
triusque augmenti, adeo est clara apud Theologos,
ut probationem non requirat, nam gratia sanctifi-
cans, siue primo, siue secundo ex opere operantis ob-
tenta, vel per sacramentum ex opere operato, eiusdem
rationis est, ut in 4. d. 1. & 3. p. q. 6. art. 2. communiter
Theologi tradunt, & ibi in 3. tomo tertiæ partis nos
explicuimus, & probauimus. Quia Concilia, cum lo-
quuntur de gratia, & iustificatione, quæ per sacramen-
ta confertur, non loquuntur æquiuoce, sed vniuocè,
de gratia, inquam, quæ homines, vel ante sacramenta
iustificari solebant, vel nunc iustificantur per sacra-
mentum in voto antequam re ipsa suscipiant, & ea-
dem ratio est de augmento. Imo a fortiori videtur
probari, nam augmentum iustitiæ, quod per sacra-
menta datur ex opere operato, eil ex quadam Christi
liberalitate, & abundantia ad supplendam hominū

Aa

fca

Theologica
ögenent

Confirma-
tur.

7.
Assertio. 2.
Augmentū
gratie fit
per intensio-
nem physi-
cam ipsarū
qualitatum

8.
Assertio. 3.
Iustitia in
herens non
augetur for
maliter per
opera, qua
producit,
sed alio mo
rali modo.

Primaria-
tie pro asser-
tione.

Obiectio.

Solutio.

fragilitatem, & bonorum operum inopiam, vel paucitatem; ergo tale est illud augmentum, quale futurum esset per opera perfecta, inherens: tale (inquā) quoad lumen intrinsecum permanentem, & habitudinem perfectionem; ergo huiusmodi etiam est augmentum iustitiæ, quod iusti per sancta opera consequuntur. Denique ratio Philosophica, & Theologica congruentia eadem in præsentī est, quæ in superiori capite tacta fuit, nimirum, quod huiusmodi augmentum non habet repugnantiā, & est magis consentaneum ipsi gratiæ, & iustitiæ. Quia sicut hæc habet natura sua continere iustum per veram, & intrinsecam denominationem, ita, & magis iustum per similem informationem: nam sicut simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, ergo semper illi datur intrinsecum augmentum, vt polsit hoc modo magis iustificare. Confirmatur, ac declaratur, quia hoc modo lumen gloriæ, & vitio beata est inæqualis perfectiōis intrinsecæ in diuersis beatis; ergo etiam gratia recipit in diuersis iustis eandem inæqualitatem, quam non potest habere, nisi per prædictum augmentum; ergo idem habet in eodem iusto, quando per opera magis iustificatur.

Hinc dico secundo, hoc augmentum gratiæ fieri per intentionem physicam ipsarum qualitatum. Hac assertio habet certitudinem theologicam, addendo priori assertioni physicum principium, quod qualitates, & habitus recipiunt intrinsecum augmentum, & perfectionem per intentionem : & ita in hac eam assertionem conveniunt Theologi, quos in c. 3. referam. Nec disputamus modo, an hac intensio sit per additionem, vel per radiationem, vel utroq; modo : nam hoc non spectat ad doctrinam theologicam, sed ita potest vniufcuique de intentione ipsarum qualitatum opinari, sicut aliarum. Item nō disputo nunc, an gratia augeatur per omnes, & singulos actus bonos, vel tantum per aliquos speciales : hoc enim postea videbimus. Suppono tamen quoties magis sanctificatur, magis in se ipsa augeri, ut in sequenti assertionem declarabo, & hanc internam perfectionem dari per intentionem veram, & realem ipsorum habitum, quia realis perfectio in eis non potest aliter fieri. Exemplum etiam de Visione beata, & lumine gloriæ hanc assertionem confirmat.

Dico tertio. Vera sanctitas, & iustitia inhxrens non augetur formaliter per opera ab illa procedentia, sed alio moralis modo : Prior pars negans in primis probanda est, supponendo illam formalem sanctificationem per opera non esse necessariam, vt homo sanctior, & iustior fiat, quia ostenfum est, augmentum habitus ad hoc sufficere, vt in augmento iustitiæ, quod per Sacramenta confertur, ostenfum est. Et ratio est clara, quia habitus est forma sanctificans, ergo habitus perfectior magis etiam sanctificabit, quia aucta forma, eius formalis effectus augetur, vt in calore, & cæteris qualitatibus, quæ intendi possunt, manifestum est. Hinc ergo à contrario argumentamur, & probamus conclusionem, nam prima sanctificatio non fit per primum actum formaliter, vt in superioribus ostenfum est, ergo neque secunda sanctificatio, seu augmentum iustitiæ fit formaliter per secundum actum, & consequenter neque per tertium, vel quolibet subsequentes. Probatur consequentia, quia effectus formalis non augetur, nisi aucta forma, quæ primitus dare potuit illum formalem effectum, habitus autem non augetur formaliter per actus, vt per Sacramenta, & c. Et hoc suff. Argumentum est. Dico

termino a quo, sed tantum a negatione iustitiae prae-
existente, vel praetellecta, vt in Angelis, & pri-
mo homine, actus primus non potuit esse forma ius-
tificans, sed tantum dispositio, vt supra eam disti-
eib, tum etiam quia si actus primus esset de se forma
iustificans, non posset a peccato impediri, sed illud
formaliter expellere saltem secundum connaturalē
ordinem. Quapropter licet actus secundus connaturalis
habitui, non potest cum illo consistere vnam
formam magis iustificantem, quia sunt formae di-
uersarum rationum, & actus nunquam habet mo-
dum permanentem, neque alias conditiones ad for-
maliter iustificandum requistas.

Secundo probatur assertio, quia secunda sanctifi-
catio debet esse proportionata primæ, ergo sicut pri-
ma fit per formam permanentem, & habituale, ita
& secunda. Antecedens patet, quia sicut homo ita iu-
stus, ut quando iustus durat, habeat inherentem ius-
titiam, à qua intrinsece denominatur iustus, & non
tantum extrinsece ab aliquo actu transiente, ita et-
iam magis iustus efficitur, debet fieri per formam in-
trinsecam permanentem in ipso, quæ ipsum intrin-
sece afficiat, ac denominet iustiores, etiam si ab ope-
ratione cesset, nimirum formaliter illi confendo
maiores participationem diuinæ naturæ, & maio-
rem vim intrinsecam ad connaturaliter operandum
in supernaturali ordine, ergo si actus fuerit à præxi-
sente iustitia, & non relinquere in homine hanc in-
ternam perfectionem, & corroboracionem virtutis,
non facient illum formaliter sanctiores, aut iustio-
res, quia ipsi actus per se, ac formaliter non conferunt
hanc internam virtutem, aut maiorem diuinæ natu-
ræ participationem. Et confirmatur, quia si cessante *Confirmatur*
actu homo est vere sanctior, & iustior, Deus etiā ha- *cap. prim.*
bit in illo, iuxta doctrinam Augustini cap. 57.
ad Dardanum, ubi autem Deus magis habitat, magis
operatur, quia non dicitur habitare, nisi ratione al-
cuius peculiaris effectus, hæc autem inhabitatio est
permanens, & ideo dicitur habitare in iustis, etiam
si in eis aliquid non operetur, inspirando, & adiuvan-
do; ergo ubi magis habitat, debet etiam maiore effec-
tum habitualem, ac permanentem operari. Nam si-
cut in duobus parvis non potest intelligi, quod
Deus magis in vno, quam in alio habitet, nisi perfe-
ctiorem gratiam habitualem in altero efficiat, ita nec
in duobus adultis nihil actu operantibus potest in-
qualiter inhabitare, nisi maiorem gratiam in vno ef-
ficiat, quam in alio. Nec enim fas est posuisse opera
præcedentia, nam ratione illorum præcisè, ac forma-
liter non dicitur Deus in homine habitare, præcipue
quando illa iam non sunt.

Tandem apud me hanc doctrinam valde confir-
mant definitiones Concilii Tridentini supra posite, per quas
raturam de prima iustificacione, quam de augmento et Tri-
iusticia. Et præsertim virgeæ argumentum ex illa de-
finitione sumptum, quod actus merentur gratia au-
gmentum, nam si mererent, profecto formaliter il-
lus non conferunt, nam præmium meriti est aliquid
distinctum ab opere meritorio, & à formalis effici-
eius. Quis enim dicit, mereri me per actum dilectio-
nis, vt constituatur diligens Deum? Nam quod ego
mereor apud Deum ab ipso conferendum spero ultra
meritum, at quod per actum diligendi constituatur di-
ligens non spero à Deo ultra ipsum actum, nam dan-
do actum facit me diligentem. Vnde sicut in supe-
rioribus ex eo, quod Concilium dicit, contritionem
esse dispositionem ad iustificacionem, ac remissio-
nem peccati, recte supra in ferebamus, non iustifica-
re, nec excludere peccatum formaliter, ita vel maio-
ri, vel æquali ratione ex eo, quod docet, per opera au-
geri iustitiam meritorie, inferimus non augeri for-
maliter.

Sed instant, quia ad institutum Concilii non pertinebat definire iustitiam augeri per intentionem habituum, vel per additionem alicuius intrinsece perfectio-

fectionis permanentis, quia solum intendebat dam-
nare hereticos huius temporis dicentes, homines
non iustificari suis operibus, sed opera esse tantum si-
gna, vel fructus iustitiæ, & ad hoc damnandum ne-
cessarium non erat, definire illum modum incre-
menti iustitiæ per augmentum habitum, sed satis
erat absolute docere, hominem operibus suis cresce-

Dissoluitur. re in sanctitate. Respondeo in primis, nos non asse-
re Concilium hoc formaliter, & expresse definiisse,
alias contraria sententia esset hæretica, quod non as-
serimus. Sed dicimus, ea dogmata Concilium tradi-
disse, quæ sine hoc de interno incremento habitum,
& formalis sanctificatione secunda per inhærentem
habitualis perfectionem recte subsistere nõ possint.
Item dicimus ad refellendas hereses contra iustitiam
veram, & inhærentem, ac permanentem, & contra
iustitiam, & meritum, necessarium fuisse Concilio
talibus vi verbis, quæ virtute hanc veritatem con-
tineant de iustificatione formali per habitum etiam
quoad incrementum sanctitatis, & hoc modo credi-
mus doctrinam de hoc incremento habitualis san-
ctitatis a nobis datam, ceritudinem accipere ex do-
ctrina Concilii. Atq. hoc ex solutionibus argumen-
torum magis confirmabitur.

Dubium. 12. Statim vero insurgit interrogatio, si actus per se,
ac formaliter non reddunt hominem sanctiorem, sed
augendo habitum, quomodo hoc augmentum con-
ferant? Sed hoc dubium aliqua ex parte in superiori

Deciditur. lib. c. 4. definitum est, ibi enim ostendimus, actus su-
pernaturales non augere habitum physice, & inde cõ-
cluditur augere illos moraliter. Modi autem morales
possunt esse plures, scilicet, vel merendo, vel impe-
trando tale augmentum, seu per opera ad illud di-
sponendo. Primus modus verissimus, & certissimus
est, traditurque a Concilio Tridentino loco citato,
sed de illo lib. 12. est disputandum. De aliis vero mo-
dis est varietas opinionum; nam quidam censent,
dictum modum meriti de condigno esse vnicum,
sufficientem, ac necessarium, alii vero putant, pri-
mum modum sine secundo non sufficere, saltem pro
fiatu viæ, quia actus remissi merentur de condigno,
& tamen non augent habitum ex defectu dispositio-
nis. Sed hoc fundamentum falsum est, vt c. 3. dicam.

Modi morales, quibus habitus moraliter augentur.
Vnde dico, ubi intercedit meritum de condigno, il-
lud sufficere, & in se includere efficacem impetratio-
nem, & sufficientem dispositionem. Nam si in prima
iustificatione melior conuersio disponit ad perfe-
ctiorem iustificationem, & illam efficaciter impetrat
multo magis nouum meritum de condigno suffici-
enter disponet, & efficaciter impetrabit iustitiæ in-
crementum. Sed hoc latius in dicto capite proban-
dum est.

*Meritum de condigno iustificatio augmentum iustitiæ nunquam fiat sine ta-
non semper li merito, in homine peccatore quoad habitus fidei,
necessarium vel spei inueniri posse videtur. In homine enim iusto
ad augmen- ideo non fit augmentum iustitiæ sine merito de con-
tū gratia est digno, quia habitus infusus non augetur, nisi per ac-
tus supernaturales, & infusos, nam actus naturales
proportionati non sunt, omnes autem actus super-
naturales in homine iusto meritorii sunt de cõdigno
vt infra videbimus, & ideo in homine iusto nõ potest
esse actus proportionatus ad augendam iustitiam,
quin sit de condigno meritorius. At vero in homine
fidei, & peccatore videtur posse inueniri augmentū
fidei, vel spei per actus earum non meritorios de con-
digno, sed ad summum de congruo, seu disponendo,
& consequenter impetrando tale augmentum. Dixi-
mus enim supra, per actus fidei tempore antecedentes
contritionem infundi habitum fidei, quia licet talis
actus non sit de condigno meritorius, est impetrato-
rius, & sufficienter disponit ad suum habitum. Ergo
maiori ratione si peccator fidelis per habitum fidei
intensiorem actum fidei eliciat, vt cum Dei auxilio*

sine vlla dubitatione potest, per illum se sufficienter
disponet, vt efficaciter impetret fidei augmentum,
licet illud de condigno non mereatur, sed ad summū
de congruo. Probatur consequentia, tum quia est
eadem proportio, tum etiam quia sicut in naturali-
bus actus intensior efficitur intendit habitum, ita in
supernaturalibus actus intensior disponit, & cū per
se efficere non possit, ad Deum spectat supplere, & in
homine iuxta dispositionem eius operari: tum etiam
quia si à principio ille homo intensius credidisset, quā
alius, intensiorem etiam habitum Deus illi infudis-
set, quia distribuit iuxta dispositionem recipientis,
ergo idem erit, si postea dispositio crescat.

*Supereft, vt ad rationem dubitandi in principio
positam respondeamus. Habebat autem tres partes, 14.
prima est de possibilitate huius augmenti, quam iam
satis ostendimus. Et ad primam probationem in
contrarium responderetur, virtutes infusas, licet ali-
quid efficacitatis potentiari habeant, simpliciter,
ac vere esse habitus superadditos potentius, quas ele-
uant ad actus sui ordinis connaturaliter operandos;
& quia in ipsis actibus potest inueniri inæqualitas,
etiam habitum posse in se recipere maiorem, vel mi-
norem perfectionem, qua potentiam eleuet ad actus
magis, vel minus perfectos, & ideo posse esse habitus
operatiuos magis, vel minus intensos. Vnde etiam
fit, vt gratia eiusdem conditionis sit, quia est acciden-
talis participatio diuinæ naturæ, quæ magis, vel mi-
nus participari potest. Altera probatio petit dubium
de diminutione gratiæ, & an remitti possit, sed quia
remissio solet esse via ad corruptionem, de hoc pun-
cto dicemus in lib. 11. Nunc breuiter respondeo, ar-
gumentum probare, in gratia ipsa non deesse latitu-
dinem graduum, ratione cuius possit successiue amit-
ti, ac prius minus, quam omnino pereat, nihilominus
tamen ex defectu causarum corruptentium nullam
inueniri, quæ illam secundum legem ordinariam mi-
nuat, vt in citato loco latius declarabimus, & osten-
demus.*

*Secunda pars obiectionis erat contra necessitatem
huius augmenti, seu intensiōis. Ad quam dicimus, 15.
ad perfectum modum internæ, ac permanentis san-
ctificationis maioris necessarium esse hoc augmentū,
vt ostensum est. Et ad priorem improbationem sum-
ptam ex actibus remissis negatur assumptum, nam
in capite sequenti ostendimus, per illos iustitiam
habitualis inuoluitur augeri. Adde etiam iuxta opi-
nionem negantem tale augmentum, negandum cõ-
sequenter esse, talia opera tunc magis sanctificare ho-
minem, cum sunt, esto faciant illum dignum maio-
rem sanctitatem suo tempore recipiendi, & ad illam
reddat acceptum, de quo plura statim. Ad alteram
improbationem de peccatis respondeo, in peccato
esse duo, vnum est conuersio ad commutabile bonū,
quæ ad aliquod speciale vitium pertinet, & auersio
ab incommutabili bono charitati Dei contraria. Ra-
tione prioris conuersionis peccatum inducit in ho-
mine positium habitum prauum, qui vitium pro-
prie nominatur, ratione posterioris non inducit ali-
quid positium, sed maculam, quæ proprie cõstituit
hominem peccatorem, & Dei inimicum. Dico ergo,
hominem peccando non constitui vitiosum proprie
loquendo sine aliquo habitu positiuo; qui, vt dixi,
proprie vitium appellatur. Vnde si quis semel peccat,
ita vt habitum non acquirat, non posse dici vitiosum
licet peccator vere sit, quādiu Deo non reconcilia-
tur. Vnde etiam assero, etiam si homo acquireret ha-
bitum vitiosum peccando, nisi frequentibus actibus
illum habitum augeat, & consuetudine acquirat fa-
cilitatem, & prontatem ad peccandum, non posse
dici, factum esse vitiosorem, sed solum sæpius tale
vitium exercuisse, & dignum esse maiori supplicio.
Quia vero ex tali consuetudine semper acquiritur
facilitas aliqua peccandi, ideo fit homo per talem ac-
tum magis vitiosus. Sicut etiam censeo, hominem*

